

bile hoc esse, nemo negabit, qvia DEus est omnipotens, quem nemo limitibus includere audebit. Si DEus non creasset ejusmodi substantias, nulla in mundo creato esset creatura, qvæ DEum & ejus opera intelligeret. Existimamus porro, uti DEus res creatas movet imperio suo, vel voluntate, sic substantias DEo quodammodo similes ab Eoqve creatas, habere posse facultatem, licet maxime limitatam, voluntate sua movendi corpora quædam & percipiendi motus corporum sine contactu.

§. VI.

Ex his supponere possumus, animam nostram esse substantiam DEo quodammodo similem, qvæ habet potentias voluntate vel imperio suo suum corpus movendi, ut & motus corporis sine contactu percipiendi. Qui hanc possibilitatem negat, DEi Creatoris Omnipotentiam labefactat.

§. VII.

Hanc possibilitatem confirmamus experientia nostra. Omnes experimur manum nostram scribere ad voluntatis nostræ imperium, & animam percipere, qvæ a manu scripta sunt. Experimur, corpus nostrum sese movere ad voluntatis nostræ imperium, & animam percipere motus quosdam, qui in corpore nostro fiunt. Sed experimur simul tam facultatem movendi corpus, quam facultatem percipiendi externos motus, admodum esse limitatam. Non Dii sunt nostræ animæ, sed substantiae DEo quodammodo similes, eum in finem creatæ, ut Conditorem suum, ejusque opera cognoscant.

§. VIII.

Commercium animæ & corporis ita est comparatum, ut anima spirituali volendi facultate, quam a DEo accepit, moveat corpus sine influxu; & spirituali intelligendi facultate, percipiat motus in corpore factos, sine ullo contactu. Tales facultates erant necessariæ ut intelligamus, qva ratione DEus mundum materialem moveat & dirigit; ut & qva ratione Ille omnia sciat, qvæ in mundo materiali fiunt. Sic carere possumus influxu physico, qui legem motus violat, quod plures observarunt. Nec opus est, ut dicamus, per concursum DEi